

DE INCENDIO NOSTRAE DOMINAE

Omnes conticuere, attoniti tremunt ;
iam sol impatiens talia cernere
decessit : pauidae nox ruit insulae ;
suspensa omnia sunt metu.

Sicut praeda graui saucia uolnere
miratur trepido corpore feruidum
demanare cruorem, haud aliter stupet
uri pectora ciuitas.

Omnes dant lacrimas aut prece supplices
orant Omnipotentem et Mariam pia.
Iampridem rabidus Mulciber inficit
caelum uorticibus nigris

et densum trabibus comminuit nemus
et muros ueteres debilitat furens
nunc Pandaemonii persimiles domo,
nunc ripae Phlegethontidi.

Currus luciferae cum tenebras fugat
aurorae, reteggit carnis et ossium
lumbos iam uiduos. O dolor acrior !
ne Nostrae Dominae quidem

quam uates celebrat carmine plurimus,
quam sentit merito Gallia cardinem
praeclarum historiae, cuius aheneae
linguae uiscera permouent,

quae tangit geminis aethera turribus,
qua nullum specimen pulchrius artifex
humani ingenii composuit fides,
quae tot saecula perstitit,

ignis parcit edax ? non puduit feras
flammas hoc facinus suscipere impium ?
sic natura sinit turpius improba
quam quod mens capiat nefas ?

Cladisque interea Sequana neglegens
tamquam ludibrio labitur ut solet
concussus minime, namque uolubilis
amnis perpetuum fluet.

Nunc deleta iacet, cras renouabitur :
hoc poscit pietas, officium hoc iubet.
At notam faciem lugeat orbis et
tristis nenia personet

et Nostram Dominam quisquis amat memor
summis praesidium laudibus efferat
aestus quod uetuit denique fumidos
illam tollere funditus !

Thomas von Kaenel